galena

Wridt frideric: Micrologus Epithalamii.

MICROLOGVS
EPITHALAMII
NOBILI AC FAMATO DOMINO,
D. ANDREÆ BELLI,
SPONSO,
&
LECTISSIMÆ VIRGINI,
MAGDALENÆ PIPHANOWNÆ:
SPECTABILIS AC GENEROSI DOMINI,
D. GEORGII PIPHAN,
PROCONSVLIS CRACOVIENSIS, FILIÆ SPONSÆQ; DILECTÆ.

PER

G. D. FRIDERICVM WRIDT, *Oculiſtam Lithotomum Herneotomum: Primarium Regiminis, Illuſtrißimi D. D. Colo: & Cõmen: Cracouienſis de Kayſerſtein Chyrurgo-Medicum.*

DICATVS,

ET

Lyrâ Pöematicâ luci decantatus

EXPORRECTVS.

Anno à Chriſto Nato M. DC. LIX. *Die 16. Februarij.*

CRACOVIÆ, In Officina SCHEDELIANA.

A lma Dies inuecta polo pulcherrima claro,
N on sueto curru rutilos induta colores,
D e Thetidis regnis rediens aurora per astra
R egia, quæ Phœbum sequitur fulgore superbo
E xultans, spargensq; nouum nunc de axe nitorem.
A lta iacent vada Neptuni sinè fluctibus, atque
S pirant Æolidæ, suaues sinè murmure venti.

B ellerophontææ Vos per penetralia Phœbi,
E t ter sacrum Helicona precor! dicite, cur sic
L ætans more nouo insolitè natura reuixit?
L ætâ cur tristis media inter frigora Brumæ,
I ngenerans præcox protrudit germina fronte?

S ancti Vosque Sacerdotes, qui digna loquuti
P hœbo, declarate, noui quid voluitur orbe?
O docti properate, Sophi, consulite astris:
N aturam lapsam arsque iuues (ô nata!) parentem.
S ed querulum audierat me mox Atlantius Hermes,
V t quid, ait, quereris, mundo quod gaudia nata?
S iste gradum, lætumq; chorum circumspice lætus.

M ox vbi conspexi, en! ter læta caterua Dearum,
A stabatq; cohors placidarum terna sororum,
G audia magna parans. Hymenæus at ille fauores
D istribuitq; faces SPONSIS, patefecit, & auxit,
A lmos, quos pharetratus amor, celauerat ignes.
L ætantes aliæ thalamos pro fœdere sancto,
E rexêre piè Nymphæ inter Numina sancta,
N on mira mihi cernuntur gaudia mundi,
A lma quia hæc SPONSIS dederant pia fata Deorum.

Pergite

Pergite Vos Neo-nupta cohors in gaudia læti!
Ite cothurnati, per amæna, ſuperbaque prata:
Pindi delicias colite, & redolentia Tempe,
Hæc eſt veſtra dies, lætis celebrate camœnis.
At prodi Neo-SPONSA, Tuum SPONSVMQ; ſaluta,
Non contemne faces Genij, nec fœdera ſacra:
Oſcula, quæ tibi mille parat, cape pignus Amoris;
Virtutum (quando SPONSVM) compendia cernis.
Nomina clara gerit, longo de ſanguine BELLI
Aut bellus, nam conueniunt hæc nomina rebus

Sol geminus quandoq; ſuâ ſub fronte refulget,
Puniceo vultum roſeum natura colore,
Ornârat, pario lapidi frons æmula, labes,
Nulla genis, candeſcunt ora corallina flammis.
Sunt animi quoque ei dotes, & dona Mineruæ
Alma Deæ; Fortuna fauet, natura venuſtat.

Votiua hæc ſunt SPONSA tibi quid & amplius optas?
Inquiris fors plus, cùm ſit compendia rerum?
Virtutum SPONSO eſt, vigilantia ſumma LEONIS,
Alto quam refouet ſeruans in pectore charam.
Non tamen hunc timeas â Te domitum Hanno LEONEM,
Te vigil, & thalamum caſto cuſtodit honore.

Sed iam tempus adeſt, feſtum celebrare camœnis,
Eſt Hecate triuiûm, Iunoque potentis Olympi,
Magnus Hymen caſtos, thalamos quos iuſsit amari,
Pandit: perpetuo iungit iam fœdere SPONSOS.
Et Vos læta cohors feſtiuos dicite plauſus,
Rumpe moram ad dulces citharas Tymbræus Apollo:

S unt tibi Parnaſſo Aonidum ter terna lotorum
A gmina, quæ veniant applaudere iubila feſto,
N oſtro. Pingat humum Chloris ſpargatq; virorem,
I nq; ſuis SPONSI ſpatientur olentibus herbis.

A ſſurgant ſuaues Zephyri quæ vela ſecundent,
C edite Vos mœſti, triſtiſq; cohortis auerni
F atales natæ, nectentes ſtamina in æuum
E umenides SPONSIS. O! Tu doctiſsima turba
L ætum iam Pœana, veni, properaq; canendo
I llos lætitiæ cantus, Hymnoſq; relinquens
C aſtalias vndas, propera ad connubia caſta;
E xpectant SPONSI, vt lætæ modulamine ſuaui
S icelides cantent, moueant & pectora cantu.

P ergite nupta cohors ad fœdera caſta, & amores,
E ſt nunc læta dies, Amor ardeat igne perenni,
R eſtringat nullus ſocialia iura, reſoluant
E umenidum, haud citiùs, quàm tardo Fata ſepulchro.
N ulla Theonino rodant Vos ſæcula dente,
N oſtra hæc vota volunt, Vos viuere longa per æua.
E ia age turba, roſis, palmis, decorandaq; lauris
N unc thalamum accedas, caſtoſq; Cupidinis ignis.
T andem ſtella redit quæ ſemper amantibus alma.

I O! viue Mihi, aC Domui, fe LIX que perenna!